

que sub potestate Regis Gallia; ac propterea sine auctoritate Regia in his partibus publicari non potest, Decanus Bastoniensis Decreti placet in Senatu Regio Luxemburgi, qui audito Procuratore Regio, annuit, ut Decretum quo ad hoc punctum publicaretur, conformiter ad Edicta Caroli V. & Philippi II. antecitata, die 30. Julii 1692.

Optandum esset, ut hæc Decreta ubique vigerent, atque ipsa templi Dedicatio juxta Ecclesie intentionem ubique celebraretur, abrogatis commensationibus & computationibus, quæ tunc fieri consueverunt (non mediocri timoratum scandalo) à quibus juramenta, blasphemie, rixæ, & alia ejusmodi sequuntur, quæ Dei iram concitant & provocant, ut in suo Decreto loquitur Episcopus Leodiensis.

XXVII, In pluribus locis mos invaluit, ut dum alicujus

Monumentum ad Cap. 3. num. 26.

Decretum Episcopi Leodiensis de celebrandis Dedicacionibus Ecclesiarum uno eodemque die Dominico.

Joannes Ludovicus, Dei Gratia Episcopus & Princeps Leodiensis, Dux Bulloniensis, Marchio Franchimontensis, Comes Loffensis, Hornensis, &c.

**M**agno animi nostri more intelleximus in Decanatu Bastoniensi Archidiaconatus Arduenna Diocesis nostra Leodiensis gratia, occasione Dedicacionum Ecclesiarum peccata committi per Commensationes & computationes, quæ tunc fieri consueverunt, non mediocri timoratum scandalo, à quibus juramenta, blasphemie, rixæ, & alia ejusmodi sequuntur, quæ Dei iram concitant & provocant, cui malo, quantum possumus, remedium adferre volentes, auctoritate nostra ordinariâ presentium tenore Mandamus & ordinamus, ut in posterum futuris temporibus per dictum Decanatum, prout & per Stabulensem ejusdem Archidiaconatus, Dies Anniversaria Patroni nostri celebretur, nec ultra dictam diem Dominicam quocumque, sub prætextu causa vel colore protrahatur sub pena arbitrio utriusque respectivè Officialis, Venerabilis Nobilis sincerè nobis dilecti Joannis Ernesti Baronis de Surtet Arduenna Archidiaconi, Domini Temporalis d' Odeur, Velroux, Lexhy, &c. intelligenda, & in pios usus convertenda, seriò injungentes utrique Decano Bastoniensi, & Stabulensi, ut in suo quilibet districtu has nostras presentes Ordinationis & Mandati litteras, debitè & ubique promulgari faciant, Pastoribus verò & eorum subditis, ut eisdem sese omnino conforment. Deum Fidei, ut in omnibus & singulis contravenientes diligenter inquirent, & contra eosdem cum omni rigore procedant. Quoniam talis est nostra seria voluntas. Datum in civitate nostra Leodiensi sub Signaturâ & Sigillo nostro, anno Domini 1692. mensis Aprilis, die quinta.

JOANNES LUDOVICUS.

Locus † Sigilli.

HEN. MARTINI.

Decretum Senatus Regii Luxemburgensis quo supradicti Decreti Leodiensis executio permittitur cum quavis moderacione.

**L**es Gouverneur President & Gens du Conseil du Roy nostre Sire ordonné ez pays Duché de Luxembourg & Comté de Chiny à tous ceux qui ces presentes lettres verront salut. Sçavoir faisons que venue la Requete présentée par M. Jean de Hertevall Prestre Curé d'Ortho Doyen & Official de la Christianeté de Bastogne contenant, que desirant faire publier & observer le mandement du 5. Avril dernier du Reverendissime Evêque & Prince de Liege joint à laditte Requete, il plaise au Conseil luy accorder le placet en tel cas requis & accoutumé, ledit mandement portant que les Dedicasses de toutes les Eglises dans l'estendue de laditte Christianeté de Bastogne se celebreront à un mesme jour sçavoir le jour de Dimanche pendant l'Octave de S. Lambert sans estre différé sous quel pretexte que ce soit à telle peine que sera arbitré par l'Archidiaque d'Ardenne, ordonnant audit Doyen & Official de Bastogne de faire publier par son District ledit mandement, & aux Curez & leurs Paroissiens de s'y conformer & aux Escoaux de Liege de proceder contre les contravenans avec tous les rigueurs. Laditte Requete & mandement communiqué au Procureur General du Roy par Decret du 18. May dernier ensemble ses Conclusions sur ce données. Ven en outre les Ordonnances de l'Empereur Charles Quint du 7. Octobre 1535. & de Philippe II. Roy d'Espagne du 22. Juin 1589. reproduites d'office. La Cour disposant sur les conclusions du Procureur General du Roy ordonne conformement auxdites Ordonnances que toutes les Festes, Dedicasses ou Kirmes des Villages ou Paroisses Champêtres par tous les Doyaux de Bastogne se tiendront le Dimanche pendant l'Octave de S. Lambert & qu'elles ne dureront qu'un seul jour à peine de vingt livres d'amende à four faire par ceux & un chacun qui en autre temps au plus que ledit jour celebreront laditte Feste ou s'y trouveront pour tant de fois qu'il adviendra. Et permet que la declaration de l'Evêque de Liege du 5. Avril dernier sera publiée & affichée pour estre executée seulement à l'égard des translations des Dedicasses des Eglises dudit Doyenne bien entendit que les clauses inserées (sub pena arbitrio utriusque respectivè Officialis Venerabilis Nobilis sincerè nobis dilecti Joannis Ernesti Baronis de Surtet, Arduenna Archidiaconi, Domini Temporalis d' Odeur, Velroux, Lexhy, &c. intelligenda, & in pios usus convertenda, seriò injungentes utrique Decano Bastoniensi, & Stabulensi, ut in suo quilibet districtu, has nostras presentes Ordinationis & Mandati litteras, debitè & ubique

que promulgati faciant. Pastoribus verò, & eorum subditis, ut eisdem sese omnino conforment. Deum Fidei, ut in omnibus & singulis contravenientes diligenter inquirent, & contra eosdem cum omni rigore procedant, Quoniam talis est scia nostra voluntas. N'auront aucun effet en ce Pays: mais que les contravenans seront poursuivis pardevant les Juges de ce pays comme il convient. Mandant au premier Huissier sur ce requis de signifier & mettre ses présentes en deve execution prononcé à Luxembourg le 30. Juillet 1692. signé Isle Maître & y étoit imprimé le Contre-seel dudit Conseil.

## CAPUT IV.

### De Reconsecratione & Reconciliatione Ecclesiarum.

1. Templum semel consecratum iterum consecrari nequit.
2. Hac disciplina ex similitudine cū Baptismo inducitur.
3. Hanc inducitur hujus discipline rationem insinuant Canones.
4. Ecclesia in aliquibus partibus destructa, partibus illas reconsecranda non est.
5. Ratio hujus discipline.
6. Numquam Ecclesia reconsecranda, dum manet eadem moraliter.
7. Si dubia sit consecratio, poterit denuo consecrari.
8. Seculo 11. persuasum fuit, principali Altari everso totam Ecclesiam esse consecrandam.
9. Hac persuasio fundata fuit in Canone falso Higinio Pape adscripto.
10. Contraria disciplina à seculo 12. invaluit, & hodie recepta est.
11. Ratio mutata disciplina.
12. Ecclesia violata reconciliari potest, non reconsecrari.
13. Sanguinis effusione polluitur Ecclesia.
14. Copiosa sanguinis effusio non semper inducit profanationem.
15. Sola percussio etiam gravis & enormis sine sanguinis effusione non profanat Ecclesiam.
16. Homicidium sine sanguinis effusione profanationem causat.
17. Mors secuta in Ecclesia ex vulnere insulto extra Ecclesiam violationem non inducit.
18. An polluta Ecclesia censetur pollutum Cimiterium, aut e contra?
19. Effectus pollutionis templi materialis.
20. Aquâ per ipsum Episcopum benedictâ reconciliatio fieri debet.
21. Jure Decretalium reconciliatio faciendâ per Episcopum? nec eam simplici Presbytero delegare potest.
22. Dicitur à Pontifice variis Episcopis privilegium delegandi esse concessum; ac simili gaudere videntur Episcopi Belgii.
23. Quare hæc reconciliatio olim soli Episcopo reservata?
24. Cur Cineres & Hyssopus adhibeantur?
25. Jam pridem à Theologis notatum, hæc reconciliatio figurari reconciliationem Pœnitentium.
26. Reconciliatio solemnitas non faciendâ, nisi violatio fuerit publica; & quando Ecclesia fuit solemniter consecrata.

**E**ccliam semel solemniter ritu consecratam denuo reconsecrari non posse, quocumque etiam enormi crimine pollutam seu profanatam, expeditum est, multisque Canonibus apud Gratianum relatis expressum.

II. Cui enim receptum esset, consecrationem templi materialis representare consecrationem templi spiritualis per Baptismum; atque hæc ratione, ritus istius consecrationis ad similitudinem rituum hujus spiritualis consecrationis essent plures inducti, etiam visum fuit, quod sicuti templum spirituale se-

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

mel per Baptismum consecratum, licet postmodum per peccatum fuerit violatum, non potest iteratò per Baptismum reconsecrari; ita nec templi materialis solemnitas consecratio, huic spiritualis templi consecrationi respondens iteranda sit.

III. Hanc rationem apertè indicat Decretum, quod sub nomine Concilii Nicæni refert Gratianus *Dist. 68. Can. 3.* & rursus *Dist. 1. De Consecrat. Can. 20.* Postquam enim dictum esset: *Ecclesia semel Deo dedicata non debet iterum consecratio adhiberi*, ratio subjungitur: *Quia sicut infans à quocumque sacerdote in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti semel baptizatus, non debet iterum baptizari, ita nec locus Deo dicatus iterum consecrandus est.*

Quamvis hoc Decretum inter Canones Nicænos non reperitur; nec ullus veterum Scriptorum illius meminerit; nec consequenter ex illo aram hujus discipline statuere possimus, nihilominus fundamentum illius inductæ discipline non obscure ex illo colligimus.

IV. Hæc disciplinâ stabilitâ, quaesitum fuit ab Innocentio III. num "Lignis ædificatis Ecclesie calu consumptis, parietibus tamen illæsis, ac mensâ principalis Altaris in sua extremitate modicam partem fracturam, si propter hoc ipsius Altaris, vel etiam totius Ecclesie debet consecratio innovari?" Respondit Pontifex in *Cap. 6. De Consecrat. Eccl.* "Quod cum parietes in sua integritate permanerint, & tabula Altaris mota & enormiter laesa non fuerit, ob causam prædictam, nec Ecclesia, nec Altare debet denuo consecrari."

V. Ratio hujus responsi fuit, quod parietes præcipuam Ecclesie materialis partem, & ipsius qualitèrteriore formam constituent. Hinc ipsi parietes, præ reliquis fabricæ partibus, crucibus signantur & inunguntur, atque asperguntur. Itaque his manentibus illæsis, licet aliæ nonnullæ partes destructæ aut absumptæ sint, censetur manere moraliter eadem Ecclesia.

VI. Quandocumque ergo manet moraliter eadem Ecclesia, etiam si per partes subinde fuerit reparata; idque tam frequenter, & in tam multis partibus, ut reverà totum tandem ædificium constet per partes renovatum, tamen si semper manserit idem ædificium, non erit denuo consecranda; uti post alios latè deducit Barbosa De Officio Episcopi *Alleg. 37.*

VII. Verum sicuti Baptismus denuo reiterari potest, si dubitetur, an validè collatus fuerit, ita quoque Consecratio Ecclesie reiteranda est, si de ea dubitetur. *Can. 18. Dist. 1. De Consecrat.* ubi sub nomine Concilii Meldensis refertur: "Ecclesia vel Altaria quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur, & superflua Altaria destruantur."

Hic Canon extat *lib. 1. Capitularium c. 145.* demptis ultimis verbis, *de destruendis altaribus superfluis*; atque hinc primitus Canonem desumptum esse, non autem ex Concilio Meldensi, in quo non reperitur, notat Stephanus Baluzius in notis ad Gratianum, unâ erroris fontem indicans.

Hinc equidem apparet, tempore Capitularium, id est, seculo 9. hanc disciplinam de reiteracione consecrationis in casu dubio, notam fuisse.

VIII. Seculo undecimo dubitatum fuisse, an quando Altare motum est, aut destructum, debeat ipsa Ecclesia de novo consecrari; illudque tamquam dubium

Yy

sibi

sibi à quodam Abbate propositum fuisse, significat S. Anselmus lib. 3. epist. 159. "De quo quidem neque in decretis, neque in Canonibus (ait) memini me aliud legisse: sed à quodam Episcopo audiui quod in decretis Eugenii Papæ legitur, Altare motum iterum consecrandum. De his enim Domino Papæ Urbani no locutus sum, assistentibus quibusdam Episcopis. Sed Papa dicebat, mensam Altaris motam, nec reconciliandam, nec iterum consecrandam, nec amplius in Altare reputandam. Alii vero dicebant, tantum reconciliandam, nullam tamen auctoritatem ostendentes. In hoc tamen omnes concordant, quod violato principali, tota Ecclesia cum altari iterum consecranda est: nec Ecclesia consecranda est sine consecratione altaris, aut principalis aut alicujus alterius in eadem Ecclesia. In his autem omnes concordant cum quibus loquutus sum, exceptâ altaris mensâ. Item si aliqua pars Ecclesiæ destructa reficitur, aut ita sit altari immoto, aquâ tantum ab Episcopo benedictâ, aspergendam dicitur.

Post hæc subjicit: "Ratio autem quam à me quaesivisti, hæc mihi videtur super his: altare non propter Ecclesiam, sed Ecclesia propter altare, & ideo violatio principali altari, jam non videtur esse Ecclesia: quia non est illud propter quod Ecclesia constituitur & consecratur. Quapropter cum illud sit novum rectè videtur cum eo consecrari, per quod recipit ut sit Ecclesia.

IX. Quod hic Anselmus dicit de Decretis Urbani, intelligi debet de Decreto quod sub nomine Higini Papæ extat apud Gratianum Dist. 1. De Consecrat. Can. 19, quod ita habet: "Si motum fuerit altare, denuò consecratur Ecclesia: si parietes mutantur, & non altare, salibus tantum exorcizetur. "Similiter quod videtur sub nomine Vigili Papæ in Can. 24. eadem Dist.

Præcitatum Decretum Higino Papæ, qui seculo 2. sedit, adscribi non posse Eruditus hodie sat persuasum est. Quin & obviat Joannes Baptista Thiers in sua Dissertatione de principalioribus Ecclesiarum altaribus cap. 2. fat verisimile esse, nullam specialem consecrationem altaribus ante seculum quintum fuisse impenitentem; sed quod solo tactu Corporis & Sanguinis Domini consecrata reputarentur, juxta illud Chrysostomi Homilia 20. in epistolam 2. ad Corinth. Hoc altare natura quidem lapis est, sanctum autem efficitur postquam Corpus Christi excipit.

Quidquid sit hoc constat, seculo undecimo sententiam ab Anselmo relatam communiter fuisse receptam, idque auctoritate dicti Canonis Higino adscribi. Unde eodem tempore S. Ivo Carnotensis consultus super eodem dubio, rescribit in eandem sententiam, idque eodem adducto Canone; quem etiam ipse tamquam ex Decretis Higini Papæ desumptum retulit parte 3. sui Decreti cap. 13.

X. At circa finem seculi 12. hæc disciplina mutari cepit; uti constat ex Decretali Alexandri III. in Cap. 1. De Consecrat. Ecclesia, ubi scribit: "Si altare motum fuerit, Ecclesia propter hoc nequaquam suam consuevit consecrationem iterare.

Quæ verba ostendunt, Pontificem hic nullum novum jus induxisse; sed respondisse juxta id quod suo tempore consueverat observari.

Addens autem Pontifex: licet id quidam Canones innovare videantur, scilicet altari moto Ecclesiam esse reconsecrandam, indubie respexit ad relatos Canones apud Gratianum; qui fat aperte significant reconsecrationem esse faciendam: sed cum hæc sint tantum disciplina & ceremonialia, facile mutari potuerunt: quare juxta Decretalem Alexandri III. hodie receptum est,

ob motionem Altaris, Ecclesiam non esse denuò consecrandam.

XI. Considerantur enim recentiores, consecrationem altaris plane separatam esse à consecratione Ecclesiæ; neque hanc ab ulla ullaatenus dependere: ut proinde nec Sancti Anselmi, nec Ivonis ratiocinatio fundata sit; utpote pro fundamento supponens, hanc à priori dependere.

Altarium enim consecratio plane diversa est, etiam quoad ritum à consecratione Ecclesiæ, extatque distincta in Pontificali Romano; ubi quoque præscribitur ritus consecrationis altaris portatilis, cujus circa seculum 8. invaluit; & quo hodie passim utuntur pro Missarum celebratione in locis etiam non consecratis, aut benedictis; uti supra notatum est titulo 5. cap. 8. num. 10.

XII. Que admodum templum spirituale per crimen profanatum non potest quidem per Baptismum reconciliari, sed tantum reconciliari debet per aquas penitentiae; ita & templum materiale profanatum seu violatum, non quidem solemniter ritu consecrandum est, sed tamen reconciliandum, idque reconciliatio qua reconciliatio templi spiritualis per penitentiam respondet.

XIII. Contingit Ecclesiam pollui variis modis; ac imprimis per sanguinis humani effusionem in eo factam; de qua in Cap. 4. & Cap. fin. De Consecrat. Eccl. item in Cap. Unico eodem in VI. in quibus simpliciter dicitur, sanguinis effusione Ecclesiam violari; sed id indubie de injuria & voluntaria effusione intelligi debet; quemadmodum Doctores uno consensu docent; & communis praxis observat. Unde Synodus Colonienfis anno 1536. parte 9. cap. 7. ait: "Reconciliatur Ecclesia aut cœmeterium ob enormem sanguinis effusionem, dedita opera violenter & injuriose commissa.

XIV. Cum ergo non ipsa materialis sanguinis effusio ipsam Ecclesiæ pollutionem seu profanationem præcipue inducat; sed ipsum crimen quod in sanguinis effusione perpetratur; consequens est, ipsam Ecclesiam ex mente Canonum non pollui, tametsi etiam copiosus sanguis effluat, si tamen percussio levis fuerit; ut si v. gr. pueri in rixa alter alterum percutiat, & ex naribus copiosus sanguis effluat; uti post alios citatos notat Barbosa de Officio Episcopi Allegat. 28. nu. 36. Si tamen (ait) sanguis exiret de naso ex percussione violenta inter majores 14. annorum; Ecclesiam pollui, resolvit judicatumque refert Marianus Anton. lib. 1. Variarum Resol. 112. casus 6. Ita Barbosa; quod indubie intelligi debet, si ex modo percussione aliusque circumstantiis fat appareat, percussione hanc gravem fuisse & enormem.

XV. Quia tamen ipsæ Decretales loquentes de pollutione ob vulnus inflictum, specialiter meminere effusionis sanguinis, videntur ipsam pollutionem in effusionem sanguinis refundere; unde & communiter receptum est, ex percussione quantumvis gravi & enormi facta in Ecclesia, eam non pullui, si nulla sequuta sit sanguinis effusio, uti post alios resolvit Barbosa loco citato num. 35. quin etiam modicum sanguinis effundatur nequaquam censetur polluta. Ipsum enim verbum, effusio, videtur sanguinis abundantiam & copiosum fluxum denotare, Barbosa ibid. num. 31.

XVI. Si tamen citra sanguinis effusionem ex vulnere in Ecclesia inflicto sequatur mors vulnerati, indubie ipsa Ecclesia censetur polluta Cap. 4. De Consecrat. Ecclesia; ubi simpliciter propter homicidium in Ecclesia contingentia Ecclesiam reconsecrandam esse respondit Pontifex.

XVII. Ubi autem vulnus inflictum esset extra Ecclesiam

Ecclesiam; & vulneratus moreretur intra Ecclesiam, non pollui ob eam mortem ipsam Ecclesiam resolvit Barbosa ibidem num. 23. quia ipsum homicidium, cui ipsa pollutio adscribitur, non contigit in Ecclesia. Unde è contrario si vulnus lethale inflictum sit in Ecclesia, & mors sequatur extra Ecclesiam, polluta censetur Ecclesia.

XVIII. Polluta autem Ecclesia cœmeterium si ei fuerit contiguum, censetur quoque pollutum; secus si remotum fuerit ab eadem.

At è converso polluto cœmeterio non censetur propinqua polluta Ecclesia, tametsi contigua, Cap. Unico De Consecratione Ecclesiæ in VI. ubi una declaratur; quod si duo sint cœmeteria quæ pariete medio sibi junguntur, quod uno polluto, aliud pollutum censeri non debeat.

XIX. Effectus pollutionis est, quod in Ecclesia polluta ante reconciliationem divina officia, præsertim Missarum solemnia, celebrari nequeant Cap. fin. De Consecrat. Ecclesia. Cap. 11. De Privilegiis, & Cap. 18. De Sent. Excommunic. in VI. ubi Bonifacius VIII. respondet, quod is qui in Ecclesia polluta scienter celebrare presumat, temerarius agat; sed tamen irregularis non efficiatur: cum id [ait] non sit expressum in jure.

XX. Reconciliatio Ecclesiæ, uti & cœmeterii fit mediante aqua cum vino & cinere per Episcopum benedicta. Quamvis enim aqua tam pro administratione Baptismi, quam piacularis pro benedictione populi à Presbyteris benedicatur; tamen hæc aqua, quæ cum cinere miscetur pro reconciliatio Ecclesiæ, tantum per Episcopum benedicatur; unde & ad distinctionem alterius aquæ vocatur hæc, aqua consecrata.

XXI. Poterit sicuti aqua hæc à solo Episcopo benedicenda est; ita & Ecclesiæ reconciliatio, juxta responsum Gregorii IX. in Cap. 9. De Consecr. Ecclesia, non nisi per Episcopum fieri potest; eamque per simplices Sacerdotes fieri, etiam ex delegatione Episcopi prohibet Gregorius, non obstantem consuetudine Ecclesiæ Bracharenfis, quæ (ait) dicenda est potius corruptela.

Rationem allegat Pontifex: "Quia licet Episcopus committere valeat quæ jurisdictionis existunt: quæ ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus clericis demandare. Quod autem mandantibus Episcopis super reconciliatio factum est hæcenus per eodem, misericorditer toleramus.

Ex hoc textu uno consensu concludunt Canonistæ Episcopum non posse simplici Sacerdoti, live non Episcopo committere reconciliatio Ecclesiæ antea consecratæ; tametsi aqua ab ipso esset benedicta.

XXII. Dicit tamen Innocentius in commentario ad hunc textum, "se ante audivisse Papam pluribus Episcopis indulgisse ut per simplices Sacerdotes possent reconciliatio Ecclesiæ aquâ tamen prius per Episcopum benedictâ. Ita ex Innocentio refert Fagnanus ad Cap. AQUA De Consecr. Ecclesia numer. 6.

An Episcopis Belgii simile à Pontifice privilegium datum sit, nec scio; hoc equidem scio, ipsos reconciliatio Ecclesiæ etiam consecratæ, Presbytero subinde delegare, aquâ ab Episcopo prius benedictâ. Inter facultates à Sede Apostolica datas Vicario Apostolico Silvæducenti legitur n. 23. facultas reconciliandi Ecclesiæ pollutas aquâ ab Episcopo benedictâ, & in casu necessitatibus, etiam aquâ non benedictâ ab Episcopo. Hæbentur hæc facultates ad calcem Synodorum Silvæducentium edit. an. 1692.

XXIII. Quod de jure hæc reconciliatio privatim Episcopo tribuatur, inde factum videtur quod hæc publica & solemniter templi materialis reconciliatio figura videatur solemniter ac publice reconciliatio animæ per peccatum pollute; consequenter etiam ad exemplum

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

solemnis conciliationis Pœnitentium, hanc reconciliatio Episcopo reservandam fore visum fuit. Quod autem in casu delegationis aqua debeat esse ab Episcopo benedicta, ostendit auctoritatem Episcopalem etiam hic aliquo modo debere intervenire.

XXIV. Ad idem referendum, quod sicut in publica ac solemniter Pœnitentia & Pœnitentium reconciliatio ne cinerum usus fuit; ita & hic cineres cum aqua miscantur.

Similiter asperforium de herba hyssopi factum, quo aqua benedicta aspergenda est, quid aliud, quam Pœnitentium reconciliatioem exprimit; juxta illud Psalmistæ: Asperges me hyssopo & mundabor?

XXV. Et sane per reconciliatioem hanc, figurati reconciliatioem peccatoris jam pridem adverterunt Theologi, uti notat antiquus Glossographus ad Cap. Unicum De Consecrat. Ecclesia in VI. verbo Polluta. Dicunt enim (ait) Theologi quod ideo reconciliatur Ecclesia, ut videtur Laici Ecclesiam sic lavari quæ non peccavit, cogitent intra se quantum pro lavatione peccatorum laborandum sit.

Synodus Colonienfis anno 1536. parte 9. agens de consecratione & reconciliatio Ecclesiarum ostendit e. 17. Locum sacrum reconciliari ad exemplum & terretorem, ut videntes locum sacrum seu inammatum templum nullo peccato obnoxium, lavari & purificari, deturhorre concutiantur, & recogitent, quantum pro expiatione delictorum, & vivo Dei templo sit elaborandum.

XXVI. Sicuti solemniter penitentia & reconciliatio nis usus est dumtaxat in peccatore publico; & quidem qui antea per Baptismum Deo fuerat consecratus; ita solemniter reconciliatio hæc non impenditur nisi pollutio sit publica, uti rectè monet Synodus Colonienfis parte citata c. 18. uti nec illa requiritur, si Ecclesia antea non fuerit solemniter consecrata. Si enim dumtaxat fuerit benedicta, tantum aquâ exorcizata seu benedictâ lavanda erit Cap. fin. De Consecrat. Ecclesia; idque etiam per simplices Presbyterum, uti post Glossam ad hoc Capitulum communiter docent Doctores; & communis praxis suffragatur.

## CAPUT V.

### De reparandis Ecclesiis.

1. Iam pridem proventus Ecclesiastici in reparationem Ecclesiarum impensis.
2. Redibus Ecclesiasticis in quatuor portiones divisus, una cedebat in reparationem fabrica.
3. In Hispania tertia pars cedebat.
4. Quomodo bona fabrica hodie in reparationem Ecclesiarum cedere debeant.
5. Decimis onus reparandi Ecclesias quare ratione incumbat?
6. Beneficiati ad reparationem jam pridem fuere adstricti.
7. Hæc Beneficiariorum obligatio auctoritate Canonum adstruitur.
8. Eam declarat Synodus Tridentina; item Edictum Principum Belgii.
9. Quomodo jura Beneficiariorum ad reparationem constringant.
10. Parochus habens simplicem competentiam ad reparationem non tenetur.
11. Decimatores licet non sint Beneficiati ad reparationem tenentur.

Tj 2

12. Quid